



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

2. De 3. Beatitudine. Beati qui lugent.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

præstare non desinit. Admiratio iudiciorum Dei, zelus in humilitate excellendi.

De 3. Beatitudine. Beati qui  
lugent.

III.

I. **E**Xpende, qualis luctus hic à Christo tertius assignetur scalæ cæli gradus, nimirum triplex. 1. Luctus compunctionis ob Deum, tor peccatis admissis offensum, ob pronitatem peccandi, & periculum in plures saltem quotidianos defectus relabendi. 2. Compassionis, ob tantam multitudinem hominum in peccatorum cœno hærentium, sub graui onere variarum afflictionum ac miseriarum mentis & corporis gementium, ac tandè absque vlla spe liberationis æternum pereuntium. 3. Deuotionis, ob prolongationem ærumnosi exilij, crebram interruptionem actualis amoris Dei, & longam absentiam cœlestis Sponsi.

Quàm pretiosæ hæ triplices lacrymæ, non tam oculorum, quàm cordiū, si non tantum internis affectibus exprimantur, sed in expiandis cauendisq; peccatis, in iuuandis afflictis proximis,

in recusandis huius mundi lenocinijs, amore cœlesti Sponsi, re ipsa demonstrantur? Zelus hos triplices affectus seu lacrymas, contritionis, compassionis, deuotionis per actus internos externosque frequentandi.

II. Quam perfectè Christus has eadem triplices lacrymas tota vita frequentarit, qui legitur fleuisse sapius, risisse nunquam, & quidem eò intensius, quò profundius fontes, seu causas earum supra insinuatatas penetrabat, & quò tenerius æternum Patrem diligebat, omniumque hominum maiorem perfectionem, gratiam & gloriam ardentius sitiebat. Zelus in his Christum imitandi.

III. Quàm sublime præmium feligentibus sit promissum, videlicet plenum solatium, quod omnè luctus causam fundicè tollit, & ineffabili gaudio mentem perfundit: quod pregustare incipiunt subinde in hac vita, plenissimè illo inebriabuntur in altera, vbi nullum erit peccatum, quod defleant, nullum periculum, quod caueant, nulla miseria proximorum, cui condoleant, nullius absentia boni, quod desiderent. At qualis pœna maneat eos, de quibus Christus, dicit:

*Vbi*

*Va vobis, qui nunc ridetis, quia lugebitis* *Matt. 3.*

*& flebitis*, videlicet hic angor & mœror ob remorsum conscientiæ & metum mortis, iudicij, & gehennæ; istic fletus æternus & stridor dentium, quando experientur in se compleri illud: *Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Amor sanctorum lacrymarum, horror mundanorum gaudiorum.

*De 4. Beatitudine. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam. III.*

I. **E**Xpende, quid sit illa fames & sitis iustitiæ, quartum in scala cœli obtinens locum, videlicet 1. Vehemens, efficax & constans desiderium contendendi ad maiorem iustitiam, tum habitualement, qua anima sanctificatur, tum actualement, quæ in exercitio omnimodæ perfectionis versatur; seu zelus proficiendi in conscientiæ puritate, in virtutum soliditate, in arcta cum Deo vnione, & voluntatis nostræ cum diuina conformitate, magno constantique conatu secundum debitum iustitiæ, & mensuram communicatæ cuique gratiæ. Et quidem purus, quo ad

ad